

non omnes parem gratiam consecuti sunt? An non omnes Discipuli, & Apostoli? An non Dominus a personarum acceptione alienus est? Omnes quidem Discipuli, at non omnes auaritia morbo cacutientes. Omnes quidem Discipuli, at non omnes pre inuidia lippidine oculorum perspicacia priuati. Omnes Discipuli, at non omnes proditores. Tanquam si dicat, quod omnes quidem digni erant; ut ad hoc magnum mysterium assumerentur; cum tamen inter eos Iudas existeret, qui auaritia morbo, ac inuidia lippidine, vel proditoris scelere deturpatus esset, minime poterat in re visionis interesse: Nam quodlibet ex his, auaritia nempe, vel inuidia, seu proditoris nefas, oculos obturat, visum perdit, ne quid caeleste percipi queat. D. Chryso- stomus serm. contra Gulam. Agendi, inquit, cupidissima temulentia hominem plane in res huius- modi impingit, occludit aures, excacat oculos, mentem multa caligine obtenebrat.

Tertio. Pergit idem Damascenus citato loco. Omnes Christi amore praediti; at unus pecunia studio flagrans, Iudas, inquam, Iscariores. Vnus hic dumtaxat indignus erat, qui diuinitatem spectaret. Tollatur, inquit, impius, ut non videat gloriam Dei. Oportebat autem, omnes gloria spectatores fieri, qui cruciatum postea futuri erant. Ideo Apostolorum principes sua gloria, & claritatis testes adsciscit: tres porro numero, ut venerandum Triplicitatis mysterium subindicaret. Ad hunc modum quidem proditoris crimen occludit; Apostolis autem suam diuinitatem patefecit. Apostoli, laborum Christi participes, valde digni, qui & tanti mysterij fierent consortes; sed ne malita proditoris declaratur, multi cum eo remaneant. Iuda pectus aetuebat pecuniae cupiditate, quae est radix omnium malorum: At unus pecunia studio flagrans: & tanti mali pondere pressus apicem montis ascendere non valebat si autem solus remaneret, criminis nota esset onustus, eiusque scelus declaratum. Tunc Diuinus Magister nouem reliquit, volens potius gratiam optimis Discipulis denegare, quam vnus nefas publicari.

Quarto. Idem Damascenus sic vterius differit. Si solus ergo Iudas esset omissus, tanquam inuidus, ad maiorem esset malitiam pronocatus. Proinde proditori tollit occasionem, cum dimisit inferius reliquam Apostolorum turbam. Si relicto vno Iuda, reliqui Apostoli ad Thaboris gloriam duce- rentur; ex tali casu, & omissione iam vulgata esset indignitas, ac malitia Iudae, haecque publi- cata nota aliquis illi esset occasio tradendi suum Magistrum: nam qui se iam infamatum videt, honoremque suum in aliorum opinione deturpatum agnoscat, nullum est nefas, nullumque facinus, quod timeat, aut pudeat perpetrare. Proinde proditori tollit occasionem, &c. Relictis ergo aliis occultetur malitia Iudae, eiusque honor seruetur illaesus, ne ex publicata contumelia in ingentem instigaret prodendi Christum temeritatem.

Quinto. D. Proculus serm. de Transfigur. Cum Iudas, ait, qui ipsum erat proditorius, indignus esset, qui diuinum hoc spectaculum, & tremendam visionem spectaret. Hac de causa ipsum, & reliquam Apostolorum chorum infra relinquit, ut hac ratione illi, tanquam non soli relicto, omnem in posterum excusationis praetextum eriperet. Omituntur alij cum Iuda, ne ipse solus minus honoratus, ac muneratus appareret: nam si omnes essent admisi, & Iudas se videret solum omissum, ac despe- ctum, aliquam excusationis ansam in suo relicto

figere posset, quod scilicet talia moliebatur in Magistrum, eum despicientem. Ut ergo talis iniqua excusatio amputetur, alij simul cum Iuda relinquuntur. Ut hac ratione illi tanquam non soli relicto, omnem in posterum excusationis praetextum eriperet. Aliqualis praetenditur in crimine excusatio, cum se quis videret a domino suo despectum.

Sexto. Relinquuntur nouem Apostoli, nam cum Iudas esset indignus, qui tanto mysterio interesset, simul cum eo & alij Discipuli remanent ad montis radicem. Sed cur Iudas non admittitur? Habebat ipse marsupium, ac pecuniam; & ex hac causa forsitan recogitaret aliquis, quod quamuis Iudas esset indignus, tamen ad tantum rerum spectaculum admittebatur. Omitatur ergo ipse; in hoc enim caelesti choro ex meritis, & non ex auro, vel argento quis sibi obtinet locum, ut contingit apud principum aulas, & palatia. Multa aurea dona dedit Eleazar Rebecca, cumq; Laban vidisset in aures, & armillas in manibus sororis suae, dixit ad eum: Ingredere, benedixit Domini, cur foris stas. Genes. 24. num. 30. Olcafter. Parant munera hospitium.

Septimo. Duodecim sunt Discipuli: tres eliguntur, & nouem relinquuntur. Magni principis, ac Magistrum est, multos habere subditos, & discipulos: magna etiam prudentia est, summa, & alta negotia paucis, & praeelectis committere. Innumera Angelorum millia assistunt ei: Milia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Daniel. 7. num. 10. Et tamen ad suprema, & alta negotia, tres tantum, scilicet Raphaellem, Gabrielem, ac Michaellem in Scriptura legimus esse missos. Vide infra cap. 24. q. 8.

Octauo. Ad has Thaboris glorias, in quibus Christus Dominus suae diuinitatis apertum testi- monium exhibebat, cur Pharisaeos non adducit, ut re tam evidenti odium deponerent, eumque, utpote Deum verum, venerarentur? Ad quid solum tres intimi amici eliguntur? O magnum diuini Magistrum documentum! Ut certè instruamur, ne multum solliciti simus, ut in inimicorum conspectu magnalia nostra propalemus, ac manifestemus; tantum enim abest, ut tali evidenti aspectu emol- lescant, ac mitigentur, quod potius in suo odio magis firmantur, ac obdurescunt. Persoluantur ergo huiusmodi rationes, ac ostentationes nostrae magnificentiae coram amicis, qui bono affectu illas vident, & considerant, ac maxime de suorum amicorum consortio, ac familiaritate latantur. Moyses ad eius glorias in monte intuendas non adducit secum fratrem suum Aaron, qui obmur- murauerat, sed suum ministrum Iosue, qui valde familiariter, ac intime eum diligebat. Exod. 24. num. 13.

Cum meus Iesus in cruce penderet, multis, ac manifestis signis Aeternus Pater declarauit, ac manifestauit, ipsum esse filium suum Vnigenitum, ac consubstantialem. Sol obscuratus est, & tenebrae factae sunt super vniuersam terram. Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petra scissa sunt. Matth. 27. num. 51. Et Centurio clamat: Vere filius Dei erat iste. At his visis perfidi Iudaei conueniant ad Pila- rum dicentes: Domine, recordati sumus, quia sedulo ille dixit. Matth. 27. n. 63. seu, ut est in Graeco, & legit D. Augustin. homil. 36. inter Quinquaginta, Impositor: Nunc seductorem, seu impostorem dicunt, quod erat quid probrosissimum, ut ait Chryso- st.

Auaritia, in- uidia, & pro- ditoris nefas excacant, ne caelestia vi- deantur.

Chryso- st.

14. Damasc.

Cupiditas pe- cuniae impedit in calum con- scendere.

Aliorum de- factus occul- tandi.

25. Damasc.

Publicata infamia ad scelerum teme- ritate instigat.

26. Procalus.

Despectus ho- mi multa e- rimina ag- greditur.

27.

Propter pecu- niam nullus admittitur ad Dei regna.

Genes. 24.

Oleaster.

28.

Dominatio- nis est multos habere subdi- tos, paucis magna com- mittere. Daniel. 7.

29.

Intimicus nul- la evidenti- a mitigatur, ac odium deponit.

Exod. 24.

30.

Matth. 27.

Græcus. August.

Chryso- st.

Odium nulla evidenti- a mi- tescit.

31.

3. Reg. 19.

Abulen.

3. Reg. 18.

Odium nulla re quiescit.

32.

Mons Thabor dictus. Cyrillus. Lippoman. Damasc. Procal. Beda.

Psal. 88.

Burgen.

Chryso- stomus homil. 90. in Matth. & quo conuicio antea tam aperte nunquam vsi fuerant. Tantum abfuit, quod apertis Diuinitas declarationibus, quae exhibitae sunt, eorum odium misceret, & multo durius, ac obstinatius factum nouas contrumelias machinetur, nouaque aduersus Dominum Iesum iaculetur opprobria. At Centurio, qui iam ex Dei gratia illuminatus erat, ac amicus, clamat: Vere hic homo filius Dei erat.

Cum accepisset Iezabel, quod Parens meus Elias gladio occidisset prophetas Baal; per nun- tium mandat ei dicere. Haec mihi faciant Dy, & haec addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnus ex illis 3. Reg. 19. num. 2. Ad quem locum ait Abulensis q. 2. quod mulier sic est locuta, quia sibi persuasit, quod Elias non posset fugere a facie eius. Sed ex hoc suboritur magna quaestio: Quomodo haec mulier potuerit in simili- lem cogitationem venire; nam multis, & miris signis potestas Eliae erat declarata, & euident? Ipse enim clausit caelum, per tres annos, & dimidium; ad eiusque verbum referatum est, & dedit pluuiam. Ipse primus omnium mortuum suscitauit. Ad eius orationem ignis super sacrificium e caelo descendit. Sicque Spiritus Domini eum rapuit, ut missis multis exploratoribus ab Achab in om- nem terram, nunquam potuerit Elias reperiri. Sic etiam, cum ei factus fuisset obuiam Abdias, cadens in faciem suam, eum veneratus, dixit: Vinit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quo non miserit dominus meus, te requirens, & respondentibus cunctis, non est hic 3. Reg. 18. num. 10. Et tamen mulier ait, quod hac hora cras eum tenebit. Perpondera differentiam inter Iezabel, & Abdiam. Iezabel incredibili odio erat affecta in magnum Eliam. Indee factum est, quod agnita eius potestate in caelo, ac in terra, dominationeque in mortem, & magno impulsu, quo a spiritu Domini rapiebatur, minime eius odium quiesceret, ac sedaretur; sed inde magis obstinata audacter pollicetur, quod eum, quem rex per tres annos, & dimidium non valuit repe- rire, ipsa intra spatium viginti quatuor horarum sit captura, ut eum morti tradat. At Abdias, ut- pote Dei seruus, ac multum ei familiaris, ex tanta eius potestate inducitur, ut Eliam magno- pere reueretur, ac amplo cultu prosequatur, in eoque impulsu diuini Spiritus recognoscat.

QUESTIO IV.

Quare Transfiguratio facta est in monte excelsa, & seorsum; & quisnam sit iste mons?

N VLLVS factorum Euangelistarum, quisnam esset iste mons, exprimit. Communis, & recepta Petrum sententia est, quod fuerit Thabor. Ita D. Cyrillus Ierosolymitanus. Catech. 12. D. Hieronymus Epistol. ad Eustochium; D. Damascenus, & D. Proculus serm. de Transfigur. Beda de locis sanctis; & communiter Recentiores. Hocque confirmat communis frequentia peregrinorum religiose Thabor visitatum, ut Caluarium, ac Bethleem. De quo meminit D. Hieron. Epistol. 27. Sicque, iuxta Damasc. explicatur illud Psalm 88. n. 13. Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Thabor exultauit in Transfiguratione; Hermon in Baptismo. Nec obstat, quod obiicit Lucas Burg. Sylueira in Euang. Tom. IV.

Nam Marc. 9. num. 30. post narratam Transfigura- tionem refert Christi transitum in Galilaeam, in qua est mons Thabor; nam saepe illud faciunt Euangelista per anticipationem.

Thabor electus a Christo Domino ad hoc my- sterium; tum ex suo nomine; tum etiam ex situ, ac item ex natura sua: Ex nomine, nam Thabor, iuxta Hieronymum in cap. 5. Osee, id est Lumen viuens. Ibi apparet Christus in lumine suae gloriae. Pagninus ex Hebraeo ait: Thabor, id est thala- mus cisternae, & sepulchri. Ibi enim locuti sunt Moyses, & Elias de excessu, hoc est de morte, ac sepultura Christi; hac enim via Christus tendit in gloriam, & in caelum. Alij ex Hebraeo: Thabor, id est thalamus puritatis: quia per puritatem ascenditur ad gloriam. Montis situs iuxta Caphar- naum, vbi Christus frequenter praedicationem voluit confirmare. Montis natura describitur a Beda tract. de locis sanctis cap. 18. Mons Thabor, ait, in medio Galilaeae campo, a Genesareth tribus millibus passuum ad Boream distat; ex omni parte rotundus, & aequaliter asurgens, herbo- sus, floridus, & valde amoenus. Vnde speciem habet paradisi.

Nostra quaestio principaliter inquit: Cur Transfiguratio facta sit a Christo Domino in monte? Ratio prima huius rei desumitur ex D. Luca dicente: Ascendit in montem, ut oraret. Ut ibi ait Toletus, in cap. 9. Luc. finis proximus ascensus in montem fuit, ut oraret; vltimus tamen, ac praecipuus, ut Transfigurationis mysterium manife- staretur. Ad orandum ascendit montem excelsum seorsum; nam huiusmodi locus sequestratus aptis- simus ad orandum, ac contemplandum, ut notat D. Chryso- stomus homil. 41. in Ioan.

Secundo D. Remigius in cap. 17. Matth. sic inquit. Quia necesse est omnibus, qui Deum contem- plari desiderant, ut non in infinis voluptatibus iaceant, sed amore supernorum semper ad caelestia erigantur, & ut ostendat Discipulis suis, quatenus gloriam diuinae claritatis, non in huius saeculi pro- fundo, querant, sed in caelestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsum, quia sancti viri toto ani- mo, & fidei intentione separati sunt a malis, fundi- tusq; separabuntur in futuro. In montem excelsum ducit, ut mons sua celsitudine exprimat sublimi- tatem patriae caelestis: seorsum tendit, ut mani- festetur, quod ad percipiendum caelestis gloriae fructum necesse est, terrena dimittere, & in excelsis contemplatione inhabitare. Ita Beda, & Haymon. De Moyses refertur Exod. 33. num. 7. quod. Tollens tabernaculum tetendit extra castra procul, vocantq; nomen loci illius tabernaculum foederis. Res mira, quod, cum Moyses amplissi- mum populum regeret, non in medio populi suum collocat tabernaculum, ut solent iudices; nec solum extra castra, sed etiam procul, ac valde di- stantes. Ratio innuitur eodem cap. versu 11. vbi dicitur, quod Deus loquebatur ad Moysen sicut solet homo loqui ad amicum suum. Ut ergo Dei col- loquio, ac diuina dulcedine fruereetur Moyses, eligit sedem extra, & procul populum. D. Ambro- sius Epist. 82. ad Versalensem Ecclesiam. Moyses, ait, solus, qui Deum videbat, extra castra habebat tabernaculum, quando loquebatur cum Deo.

Tertio Theophylactus. In montem excelsum seorsum. Solitus enim, inquit, est Christus, claraora miracula in occulto facere: ne si apud multitudinem, ut Deus conspiceretur, homo secundum apparentiam

Marc. 9.

33.

Cur Thabor Ethymo lo- gia. Hieronym. Pagninus.

Beda.

34.

Tolet.

Locus tempo- rus aptus ad orandum.

Chryso- st.

35.

Remig.

Ut degustet caelestia, di- mite terrena

Beda. Haymon. Exod. 33.

Ambros.

36.

Theophyl.



reputaretur. Ad suam Transfigurationem in sen- tum locum tendit Christus; sic excellentiora racula operabatur. Ita aestimabat, se esse ho- ne, esseque verum Virginis filium, vt, ne à mu- tudine Deus vetus tantum reputaretur, & homi- non verus, sed solum secundum apparentiam, ideo maiora ipsa absconderet miracula, ne quis minus, quam par erat, de eius humanitate sentiret.

37. Damascen. Quartò D. Damascenus Orat. de Transfigurata. Quid autem est, ait, cur Discipulos in montem excelsum seducat? Montes figurato sensu virtutes Scriptura nominat. Omnium porò virtutum apex, ac veluti arx quedam, est Charitas. Et qui ad sum- mum Charitatis verticem peruenit, quodammodo à se excedens, eum, qui cerni non potest, perspicit, atque in anime veritate constitutus, in iustitia Solem liquidius oculos defigit, tamen non profus huiusmodi specta- culo expleri queat. In montem excelsum ducit Dominus suos Discipulos, vt Transfigurationis gloriam videant. Mons ille excelsus charitatem adumbrat, quæ excelsior est super ceteros montes, ceteras nempe virtutes. Vt denotetur, quod ad Deum intuendum, necessarium est, vt homo in per- fecta Charitate existat. Charitas enim non quali- bet Dei cognitione conquiescit, sed semper ad cla- ram, & intuitiuam tendit. Ait Moyses ad Deum:

Exod. 33. Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Exod. 33. num. 13. De Moysè dicitur ibidem num. 11. quod loquebatur ad Dominum facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suum. Cur tam familiari colloquio non conquie- scit Moyses? Cur tam amicabili conuersatione per quadraginta dies, & noctes in monte non fatissit? In Moysis pectore astuabat Charitas; & ideo nulla cognitione fatiebatur, sed semper ad clarum impellebatur. Theodoretus q. 68. Moyses, inquit, veluti amore quodam probò inebriatus, ro- gavit Deum, quod humanum captum superabat, nem- pe vt naturam, & substantiam Diuinam intueretur.

38. Græcus. Quintò. Ducit eos in montem excelsum seor- sum, hoc est valde separatam, & distantem ab hominum commercio. Et sub noctium tenebris cum Apostolis tendit in montem. Imò, & Græcus ha- bet subducit, id est occultè ducit. Ad quid ad osten- dendas Transfigurationis glorias Apostolis, tam absconditè vult mysterium peragere; præcipuè cum cum hi tres Apostoli electi essent ceteris excellentio- res, vt docet D. Chrysof. q. 2. Mira, & alta prouiden- tia cuncta Dominus gubernabat: ita enim dis- posuit dare debitum probioribus, ac dignis, vt euitaretur inuidia, ac calumnia aliorum, qui tantæ visionis non erant capaces, sed minus digni inue- niebantur. Probasti cor meum, & visitasti nocte. Psal. 16. n. 3. ait Regius Vates. Quæ verba sic ex- planat D. Thomas: Probasti cor meum, id est proba- tum ostendisti; & visitasti nocte, id est silentio per consolationes. Si coram omnibus cor eius probatum ostendit in omni virtute, & sanctitate; cur etiam coram omnibus non dat consolationes? Ad quid sub noctis tenebris, & silentio? Alta sapientia con- dignè probatam virtutem remunerat, sed nocte, & silentio, vt malignantium declinetur inuidia, ac maleuolentia.

39. Sextò. Transfiguratur Christus sub nocte in monte excelso seorsum: patitur verò in Ierusalem aperta, & manifesta die. Valdè acerba pæna Christi inimicis eius glorias videre: magna verò eis gloria Domini pænas, ac dolores intueri. Cum ergo alienum sit à Christo Domino; vt integro, & recto iudice, suis inimicis æternam gloriam conferre,

letitiam ex sua visa passione, quæ illis poterat, perciperent; indeque coram om- nibus die in Ierusalem patitur. Et quia etiam re- decens, vt inimicos suos eximeret; disponit, vt communes sint ab ea pæna, qua ex visa eius glo- ria premerentur; indeque Transfigurationis ma- iestatem sub alto silentio in monte excelso mani- festat.

Cum D. Stephanus à Iudæis lapidaretur, dicit: 40. Act. 7. Ecce video calos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Act. 7. num. 55. Vulgaris quæstio: Cur non ait, quod viderit sedentem; ipse enim sedet ad dexteram Patris? Cur etiam non ait, quod viderit eum stipatum multitudine Angelo- rum, vt describitur à D. Augustino serm. 99. de Diuersis. Quanta fuerit Sancto Stephano gratia condonata? Videbat exercituum celestis militia stan- tem: Videbat filium hominis ad dexteram Patris sedentem. Idemque D. Gregorius Nyssenus Orat. de Stephano; & Petrus Damianus de eodem; & D. Lucas de eo narrat: Stephanus, plenus Spiritu Sancto, intendens in calum, vidit gloriam Dei. Cur ergo in publicatione facta coram Iudæis tantum dicit, Video calos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Cur non asserit sedentem? cur exer- citus Angelorum, ad celsitudinem gloriæ subtra- cet, & solum ait, quod viderit stantem, quod est veluti habitus ministrantis? In hac visione exprimenda sic se habet Stephanus, ne quis sibi persuaderet, Stephanum in hoc negotio aliqui vindictæ spiritu commoueri: nam enarrata ampli- tudine gloriæ Christi, maiori, ac acerbiori pæna sui carnifices cruciarentur, quam ea, qua ipsum Protomartyrem afficiebant; in Iudæos enim ex- euulgata, ac explicata Christi gloria lapides re- torquerentur duriores, quam illi, quos Iudæi in Stephanum mittebant. Ne ergo tanta premeren- tur angustia, celsitudinem Christi tacet Stephanus, cuius gloria et si Iudæis erat tormentum, pæna tamen, visa eximia delectatio. Vnde per Psalmi- stam ait Dominus Psal. 34. num. 15. Aduersus me latati sunt, & congregauerunt; congregata sunt super me flagella. D. Hieronymus. Latati sunt Iudæi, quando Christum apprehenderunt, vt eum crucifi- gerent.

Hinc Christus Dominus semper abscondit glo- rias suas; manifestat verò passiones, ac opprobria. Mandat Deus Moysi: Pones altare aureum in quo adoleatur incensum coram arca testimonij; tentorium in introitu tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti. Exod. 40. num. 5. Vbi nos habemus Tentorium in introitu, Septuaginta legunt, Oper- torium velaminis. Chaldaeus. Pones velum. Maxime ponderandum, quod altare aureum mandatur operiri velo, ac tegumento; minimè verò altare holocausti, quod erat foris, & omnibus patebat, vtroque altari Christus Dominus significabatur. Altare autem denotabat Christi gloriam: altare autem holocaustorum, eius mortem, & passio- nem. Ipse verò suam gloriam, ac maiestatem maximè abscondit, & ab hominum oculis tegit. At verò suas infirmitates, & ignominias aper- tissimè omnibus declarat, atque patefacit. D. Cy- rillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 28. ad finem postquam multipliciter ostendit, quod in vtroque altari Christus adumbrabatur, sic subdit. Cele- bratur vero primum, quia occulta, atque recondita est gloria Christi. Alterum autem vulgo patebat, quia mors eius omnibus patet.

Math.

Math. 17. Et transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

VERSIONES.

- Syriacus. Et transformatus est Ies- chua coram eis: & splen- duit facies eius sicut Sol: vestimenta verò ipsius facta sunt candida vt lux.
Ægyptius. Et rutilauit facies eius sicut Sol: vestimenta quoque splenduerunt forma solis.
Faust. Presbit. Refulsit facies eius sicut Sol.
Theophylact. Vestimenta eius facta sunt candida sicut lumen.
Æthiopicus. Vestimenta eius sicut cry- stallus.

ALTER TEXTVS.

- Marc. 9. n. 1. Et transfiguratus est coram illis.
num. 2. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & can- dida nimis, velut nix, qua- lia fullo non potest super terram candida facere.
Luca 9. n. 29. Facta est, dum oraret, spe- cies vultus eius altera: & vestitus eius albus, & re- fulgens.

EXPOSITIO II.



IE sexta Augusti, & die facta, vt volunt Euthymius hic in Matth. & D. Ephrem Orat. de Transfigur. qui ait, quod videbant Apostoli duos Soles: tamen Transfiguratio facta est nocte, vt colligunt Interpretes ex D. Luca 9. n. 37. & circa mediam noctem, vt est magis rece- pra sententia. Cum esset Christus in planitie mon- tis Thabor non sedens, non genu flexo insistens, sed stans, transfiguratus est, vt deducitur ex D. Luc. Etingilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum eo, similiter scilicet stante. Vnde Christus non est sublatus in aëra, vt aliqui depin- gunt, sed pedibus insistens transfiguratus est, vt docent Thyraus cap. 9. de Transfigur. in fine; Hieronymus Natali Sabbato 2. Quadrages. Cor- nelius, & alij hic. Et scribit D. Lucas, quod dum oraret. Oratio enim apta via ad animæ transfigu- rationem; nam in oratione anima à Deo lumen accipit, quo clarius Deum, ac diuina cognoscit. Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est 1. Corint. 6. num. 17.

Transfiguratus est. Transfigurari significat figu- ram transmutari, vt notat Abulenlis quæst. 21. Dicitur Christus Dominus Transfiguratus, non quod lineamenta faciei, aut corporis mutata sint; Sylueira in Euang. Tom. 1 V.

sed quod secundum quandam habitudinem exter- nam habuerint mutationem. Nam facies, aut vestis Christi antea minimè coruscabant, modo verò insolito quodam splendore irradiabant; & secun- dum hunc splendorem ait D. Lucas. Facta est species vultus eius altera; de quo quæst. sequenti. Antè eos, hoc est coram eis, ipsisque Discipulis cernentibus facta est mutatio, ne aliqua suspicio surreperet, quod alius in loco Christi esset substitutus, vt no- tauit Euthymius. Ita mens Iesus humilis, ac alien- nus ab omni ostentatione, vt, cum transfiguratus in gloria apparet, ne alius existimeretur, necesse sit, vt intuentibus Discipulis mysterium operetur.

Et resplenduit facies eius, quæ est præcipua pars corporis, sicut Sol, instar Solis, non quouis splen- dore illustrata est facies, sed tanquam solari, ac ineffabili; Et vestimenta eius; non solum facies eius splenduit, sed etiam vestimenta nitorem miserunt. Alba. Albedo est omnium perfectissimus color, & est symbolum lætitiæ, ac gloriæ beatorum. Apocal. 4. num. 4. & cap. 6. num. 11. & alij in locis. Sicut nix, quæ est albilissima. Græcus habet, sicut lux; alij, sicut lumen; id est sicut lux, vel lumen à Sole in aërem, vel aliam in rem diffusum. Facies com- paratur Solis splendori; vestimenta luci ipsius Solis. D. Marcus habet: Qualia fullo non potest super terram candida facere. Nullus est artifex fullo in terra, qui vestimenta queat in eum nitorem ex- purgare, multoque minus alius homo. Vnde Syriacus legit. Quales homines dealbare in terra non possunt.

QVÆSTIO V.

Quomodo admirabilis Domini Transfigu- ratio facta sit?

CHRISTVS Dominus quandiu inter homines vixit, fuit simul viator, & comprehensor; & sicut à primo instanti creationis suæ sacratissi- mæ animæ, ac vnionis cum Verbo, ipsa anima frue- batur Dei visione, beatæque erat: ita & ipsa beati- tudo poterat in corpus redundare secundum suas dotes; sed ex alto Dei consilio repressa est, vt nos redimeret. Tamen vatiis in occasionibus, dotibus ipsius beatitudinis vsus est, vt notant Hugo de S. Victore, Carthusianus, & alij. Quatuor sunt dotes, subtilitas, agilitas, claritas, impassibilitas; subtilitate vsus est, cum nascitur ex purissimo Virginis vtero, ad Discipulosque clausis ianuis est ingressus: agilitate, cum ambulat super aquas: claritate in Transfiguratione: impassibilitate verò vtitur, cum copus suum sub sacramento dat Disci- pulis. Quia tamen multò communior est opinio D. Thomæ 3. p. q. 76. art. 4. & 5. ad 3. & q. 81. art. 4. Corpus Christi datum Discipulis in cenaculo sub speciebus sacramentalibus, cum diceret or- dinem ad corpus naturale, fuisse passibile. Dici- mus, quod licet Christus aliis beatorum dotibus vteretur, non tamen impassibilitate; adeo enim aestimabat, esse passibilem, vt pro nobis patere- tur, ac moreretur, vt nec pro breui instanti, quando vixit, passibilitatem suspenderit, sed semper tanquam rem pretiosissimam sibi reti- nerit.

Transfiguratio importat mutationem formæ, vt dixi in expositione: cum autem Christus vte- batur agilitate, ac subtilitate corporis gloriosi

M 3 nulla